



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De electione chorepiscopi, & de officio eius in castellis, & pagis ac  
monasteriis. Capvt LIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
315. Christiani dare filias suas nuptum infidelibus , ne  
ad errorem maritorum peruertantur , & fiant vel  
Iudææ , vel gentiles propter infirmitatem suam &  
proclivitatem ad malum . & qui non paruerit , a  
Synodo excommunicatur.

Elib. 15. &  
16. Aurel.  
2. c. 18. Au-  
rel. 4. c. 13.  
Amb. epi.  
70. idem  
lib. de Abt.  
cap. 9.

*De electione chorepiscopi , & de officio eius in castellis , & pagis  
ac monasteriis.*

#### CAPVT LIV.

Eligat episcopus ex bonis religiosis qui habi-  
tant in deserto , aliquem qui sit doctus , & optimis  
moribus , & maxime omnium qui in vniuersa illa  
congregatione sunt , intelligens , qui nihil de elec-  
tione sua cognouerit : & qui sunt illius congregatio-  
nis , debent adducere eum ; & unus ex diaconis con-  
gregationis dicat alta voce : Nos eligimus talem in  
chorepiscopum , qui habeat totam potestatem in  
nos ; vt sciant omnes electum esse eum in eo gra-  
du : & debet episcopus recitare super electum ora-  
tionem consuetam , & benedicere illi , dareque ei  
nomina omnium ecclesiarum , & monasteriorum  
quæ sub potestate eius sunt , vt eligat ipse , prout  
melius ei visum fuerit , eos qui sint idonei , & in  
sermone suo constantes , quos ecclesiis & monas-  
teriis præficiat ; & eis qui curam habent ecclesiarum ,  
ne imponat curam monasteriorum ; & eis qui præ-  
fecti sunt monasteriis , ne mandet curam ecclesia-  
rum ; obligetque eos ad ea loca quæ eis data sunt ;  
& eat postea ad visitandas ecclesias & monasteria .  
Qui si in aliqua ecclesia , aut monasterio aliquid  
deesse , aut supra quam opus sit , abundare repererit ,  
oportet quod uno in loco superfluit , apponere vbi

*Concil. Tom. 2.*

Nn

deest; id quod cum timore Dei, & ædificatione illorum locorum fieri debet: & si fuerint pauci sacerdotes, debet augere numerum ex illis qui sunt illius loci; & si inter eos non fuerit aliquis illius castelli idoneus ut ordinetur, debet sumere aliquem ex monasteriis, vel ecclesiis, & curet ut fiat sacerdos, ut oratio sit assidua, & non cesset ministerium altaris, destituanturque templa oratione & missa, & Christiani non habentes pastorem nomine & opere sint sicut gentiles. item curet ut in omni castello, & parua villa sit aliquis qui colligat prouentus episcopi secundum vires cuiusque loci, & affrantur ad eum; siquidem ad eum pertinet ut faciat eleemosynas pauperibus & peregrinis, & sacerdotes egentes recreet, ut maneat inter eos caritas. & hic Canon caret excommunicatione.

Quod in extrema parte huius Canonis continetur de curachor-episcopo habenda, ut ex omnibus castellis & pagis suppeditetur episcopo ad viëtum, & cleemosynas pauperibus & peregrinis & clericis egentibus faciendas, satis conuenit cum eo quod ait Damasus epistola 4. non fuisse iam suo tempore necessarios, sicut inquit, in primitiva ecclesia, vel propter studium quod erga pauperes exhibebant. hos etiam Syn. Neocæf. cap. 14. dicit honorari propter studium in pauperes. Deinde quod præcipit Canon, ut episcopus reciter super chorepiscopum orationem, & benedicat ei, declarat quod ait Damasus fuisse olim chorepiscopos ad formam septuaginta discipulorum, id est, non fuisse ordinem eorum nisi presbyterorum tantum: idcirco chorepiscopus non ordinabatur, sed per orationem benedicebatur. Ad vicem chorepiscoporum, quibus iam non opus est, accedunt nunc visitatores quos vocant. in Mediolanensi ecclesia vocant vicarios foraneos. hi sunt sacerdotes probati, quos episcopus deligit, & certas regiones diœcesis suæ attribuit inspiciendas & lustrandas, ut in ciuitate sua gregem qui extra ciuitatem est, quasi præsens intueri & curare poslit. quibus qui primi nomen hoc impo- fuerunt, videntur mihi nomen chorepiscopi ab inspiciendis regio- nibus interpretati. de horum nomine & officio est caput in secun- da parte const. Synodi prouincialis Mediolanensis anni LXVI. Reue- rendo D. Carolo Borromæo archiepiscopo.